



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Punctum Difficultatis 1. Argumentra ab autoritate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

absoluta involvere imperfectionem, majorem aliquem conatum, exclusionem præsentis perfectionis; idem dicam de carentia potestatis ordinariæ. Posset hæc regula dari & taxa, ut recte aliqua dividantur in absolutum & ordinarium in Deo, id tunc fiet, quando ageretur de talibus, quæ nata sunt perfectionare aliud extra se, g. operativa divina circa creaturas, nata est perfectionare creaturas: quia autem scientia divina, non est nata perfectionare objecta extra Deum posita, sed Deum noscentem, fit, ut non dividatur in scientiam ordinariam & absolutam: quia autem etiam dominium perfectionat non creaturam, quam deicit ad conditionem servi, sed ipsum Deum: fit, ut etiam non possit recte dividi, in dominium absolutum & ordinarium. Sed quare non nisi, quæ nata sunt perfectionare alia extra se, possunt dividi in potestatem absolutam & ordinariam? hujus rationem ipsa inductio in scientia & operativa divina, aliisque similibus, ostendit, quæ nobis notiora sunt. Deinde, quia non videtur in iis, quæ perfectionant ipsum Deum, esse locus absolutæ potestatis & ordinariæ: nam suas felicitates Deus æqualiter possidet. Denique posito quod non nisi de potentia absoluta conveniat aliquid perfectionativo ad extra, non sequitur defectus perfectionis in ipso habente potestatem, cum non sit natum perfectionare, nisi alia extra se. Jam autem in illis, quæ sunt nata perfectionare ipsum habentem, quæ talem, si sit defectus aliquis membri divisionis, erit defectus, in ipso met habente. Non nego quidem, quod sit perfectio habere perfectionem perfectionantem ad extra; sed tantum dico in istis valere divisionem, de qua controversatur, quæ sunt perfectiones primo respicientes, & ordinatæ, ad aliud extra se, perficiendum. Ad eum modum quo, licet ex communi ratione accidentis, relatio dicat esse, In, pro primario tamen, dicit esse, Ad. Posito autem, quod prædicta regula non teneret, quæcunque alia dabitur, si sit legitima militabit pro nostro intento.

Quod attinet ad Instantias, quibus prædicta divisio illustrata à Ripalda, non convincunt. Concedo dari duplicem potestatem agendi in Deo, ut voluit instantia, prima & quinta. Sed nego Consequentiam sicut negaretur, si quis poneret duplicem scientiam dari, absolutam & ordinariam. Rursus. Nego minus connecti cum Deo potestatem ordinariam, quam connectitur cum Christo dominium excellens; consequenter utrumque erit inabdicabile. Obligatoria quidem alicujus potestatis in Christo concedi potest, si illa non sequatur ipsam unionem hypostaticam, & ejus suppositionem; jam autem, ex dictis, potestas ordinaria sequitur conditionem Deitatis. Respublica potest aliquid potestatem obligare, quia non est de ejus

essentia habere omnem possibilem potestatem, & perfectionem, secus est de Deo.

4. INSTANTIA. Si non supponit dominium proprietatis justitiale in Deo, non est contra nos, si autem supponit, & tueretur quis creaturæ ad Deum justitiam rigorosam, adhuc non probaretur Deum posse obligari creaturæ, ex justitia, si autem negetur dari etiam creaturæ ad Deum justitiam, ipsa instantia supponet hoc, quod probandum fuisset.

DIFFICULTAS III.

Solutio Objectionum.

Plures in hac parte formatæ sunt ab Auctore objectiones, quas particiendo, fit.

Punctum Difficultatis 1.

Argumenta ab Auctoritate.

OBJICIT I. Arriaga. Varias Auctoritates, ut, quod Beatitudo appelletur Corona justitiæ &c. quod in Concilio Ephesino c. 7. dicatur. *Christus in sua satisfactione exaquare debuit, ad justitiæ amissionem*, quod Tridentinum definiat justis proponendam esse gloriam: & ut hereditatem, & ut mercedem, quem locum sic urget. Quando Deus reddit gloriam, ut mercedem, non reddit ex debito non nisi standi suis verbis: hoc enim non sufficit, ut dicatur esse merces: nam etiam ipsis infantibus baptisatis, titulo fidelitatis, dat illam Deus, & tamen, in omnium dat illam Deus, & tamen, in omnium sententia, debitum illud non est mercedis. Ergo, debitum ob bona opera est majus, quam debitum fidelitatis.

RESPONDETUR. Loca scripturæ procedere de justitia quidem, sed non rigorosa, quæ scilicet ponat defectum potestatis in Deo, ad agendum vel negandum, sine injuria, sed procedunt de justitia liberalius sumpta, hoc est, quod nunquam Deus inæqualitatem committat per defectum in assignatione præmiorum, attenditque ad æqualitatem sive arithmeticam sive Geometricam in justitia reperibilem, quamvis sine obligatione justitiæ rigorosa. Hinc dat gloriam justis, velut mercedem: quia in illius collatione, injuriam nunquam committit, attenditque ad positionem actionis meritoria, ut attenderet rigorosa justitia, quæ positio actionis meritoria, quia non datur in infantibus baptisatis, ideo illis non datur beatitudo, ut merces. Breviter, ergo in hoc stabit justitia illa latior: quia nata est totum præstare id, quod & rigorosa justitia, seclusa obligabilitate potestatis divinæ.

Conformiter, ad dicta in prima Parte dici posset, quod hæc significet Trident. duplici motivo moveri Deum ad dandam beatitudinem

adultis: nempe & titulo misericordiae, quo nos adoptat in filios; & titulo meritorum absolute praevisorum, quod indicat *Lymerces*. Sed inde non sequitur ulla obligatio in Deum. Denique retineri potest etiam ex doctrina Vasq. quod Deus iustis adultis reddat gloriam, tanquam mercedem, ex obligatione tamen solius fidelitatis, quae ipsa fidelitas distingui adhuc potest: nam est aliqua fidelitas fundata in solo placito promittentis, non intuentis aliud, quam conservationem suae veridicitatis, & alia est fidelitas, quae non tantum in solo placito promittentis fundatur, sed etiam respicit taxam actionum alius, in sui gratiam oblatarum. Prior illa non fundat rationem mercedis, solumque illa reperitur in collatione gloriae infantibus, vel adultis iustificatis, qui nulla opera exercuerunt; Posterior fidelitas fundat rationem mercedis. Ita in aliquibus Religionibus datur merces exemptionum, & praemium ratione certorum laborum; & tamen ad haec ipsa praemia Religio non tenetur, nisi lege fidelitatis. Quando autem Christus dicitur. *Exequasse debitum ad iustitiam amissim*: sensus est, posuisse Christum tantum, quantum requirere posset, etiam rigorosa iustitia, imò plus, cum hoc, tamen stat, ut non detur illa rigorosa intercedens iustitia, inter Deum & Christum.

INSTAT 1. Arriaga. Velea condignitas operum infert aliquam obligationem maiorem quam fidelitatis, vel non infert, si infert erit illa iustitialis, si non infert. Ergo, non magis debet Deus augmentum gratiae bene operanti, quam debeat primam gratiam, vel perseverantiam.

RESPONDETUR. conformiter ad primam Responsionem. Intercedere illic obligationem iustitiae latiori modo sumptae. Conformiter autem ad Vasq. dici potest, augmentum gratiae pluribus titulis deberi, quam perseverantiam finalem, licet intra speciem fidelitatis.

INSTAT 2. Idem. Nemo proprie vocatur iniustus sola violatione fidelitatis. Unde non dicitur esse Deus iniustus, si neget perseverantiam iustis. Ergo, differitur à PP. de alio prefiori gradu quam solius fidelitatis.

RESPONDETUR. Differere PP. de iustitia latiori modo sumpta, hoc est; Virtute aequandi merita praemiis, licet sine ulla adstrictione, strictè iustitiali. Conformiter autem ad mentem Vasq. dici potest PP. differere de alio prefiori gradu intra speciem fidelitatis supra explicatae, licet non de prefiori, extra gradum fidelitatis.

INSTAT 3. Idem. Munus iustitiae Dei praescribit unicuique reddere secundum opera sua, si ve mercedem, si ve poenam, nulli autem redditur poena, ex mera fidelitate. Ergo, nec merces.

RESPONDETUR. Nulli poenam reddi ex mera fidelitate, secundum praecise veridicitatem, aut potius pro ipso stare promissis acce-

ptam: nemo enim est dignus poena, quia aliquis verè dicit, se illum puniendum; potest tamen reddi poena ex mera fidelitate, hoc est, ex virtute non extracta ultra speciem fidelitatis, respiciente tamen alia v.g. meritum facti; malitiam, operis &c. cui se veridicitate sua potest adstringere, ad opponendam poenam. Conformiter autem ad primam Responsionem, dici potest, quod non tantum munus iustitiae rigorosae praescribat unicuique reddere quod suum est, sed etiam munus iustitiae latius sumptae, stans in hoc, quod est ponere eam aequalitatem sine obligatione, quae poneretur cum obligatione.

INSTABIS 4. Assumendo ea, quae sibi in simili objecit Ripalda. Iustitia haec latiori modo sumpta, potest intervenire adtribuendum bona congruae dispositioni, & tamen Auctoritates alatae admittunt in meritis condignis iustitiam, Ergo, loquuntur de stricta iustitia.

RESPONDETUR. Sicut oppositi, collationem gratiae pro merito de congruo, non dicunt esse iustitiales, ob defectum excellentiae in illis actionibus, defectum pacti, defectum propositionis praemii; ita & in praesenti dicitur, non intervenire tunc iustitiam illam à nobis admittam, quae est aequalis strictè sumptae, in aliis ferme, excepta, stricta obligatione.

INSTABIS 5. Ex eodem. Licet Deus antecederet non promississet mercedem, nec pactus fuisset, cum homine, posset ex iustitia illa, latiori modo sumpta, tribuere bonis iustorum meritis praemium: quemadmodum tribuit animo potentias, & naturis rerum proprietates. Ergo, hic intelligitur strictior iustitia.

RESPONDETUR. Deficiente pacto, non intervenire iustitia latiori modo sumpta, prout hic à nobis ponitur: quia etiam illa requirit pactum, rationem accepti &c. Deus, autem confert rebus suas proprietates, non intuitu accepti, adeoque nec ex iustitia latiori, qualis hic à nobis admittitur. Particularius expendendo Auctoritates.

Auctoritates Sacrae Scripturae proponuntur.

1. **L**ocus est. Ad Rom. 4. *Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum*, quem locum interpretatur Chrysost. Serm. 8. col. 2. *etiam homo debitorem sibi Deum habet*.

RESPONDETUR. Deum esse debitorem ex iustitia, latiori modo sumpta, ut dat tantum, quantum debet, imò plus quam debeat: attendendoque in taxa praemii non ad merum suum placitum, sed etiam ad conditionem operum; licet hoc ipsum faciat, non ex obligatione strictè iustitiali. Quo etiam modo interpretari possumus Chrysost. Anselm. D. Thomam apud eundem Rip.

2. Lo-

1. Locus est. Ad Hebr. 6. *Non enim iniustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri.* Nullus autem est propriè iniustus, nisi violaret debitum iustitiæ propriæ. Quod eo sensu accipit D. August. L. de Nat. & grat. c. 2. L. 4. contra Julian. cap. 3. *Deus namque ipse, inquit, quod ab ipso iniustus, si ad ejus regnum verus non admittatur iustus.*

RESPONDETUR ex dictis. Fore Deum iniustum in iustitia latiori modo: nam de stricta, non loquitur Aug. Et certè cum attendatur iustitia ad exclusionem inæqualitatis: sive illa exclusio fiat ex obligatione stricta, sive non stricta: ubi illam excluderis, iustus vocaberis.

3. Locus est ex 2. ad Timoth. 4. ubi vita æterna appellatur, *Corona iustitiæ*, in quem locum S. Thom. Lect. 2. *Corona, inquit, iustitiæ dicitur, quoniam Deus ex sua iustitia reddit.* August. tr. 3. in Joan. circa medium, *iam debitum inquit, flagitii, jam debitum exigit.* Bernar. L. 1. de gratia, *promissum quidem ex misericordia, sed ex iustitia servendum*, similia habet Ansel. in Expositione ejusdem loci. *Non dabit, inquit, Coronam iustitiæ, sed reddet mihi quasi debitam.* Et certè simplicius per coronam iustitiæ accipietur merces ex iustitia. Verba autem scripturæ, accipienda ut sonant, nisi obstat absurdum.

RESPONDETUR. Ne quicquam loqui Apostolum de iustitia rigorosa, & auferente Deo potestatem exhibitam disponendi. Erit ergo ex iustitia latiori, quæ tamen non sit collatio merè misericordiosa: hæc enim non attendit ad conditionem accepti, ad quam attenditur in hac retributione. Quid autem obsit, ne illa verba simpliciter accipiantur, petatur ex rationibus conclusionis, & ex iis, quæ ostendunt non posse obligari, per Ripalda potestatem absolutam.

4. Locus ex Matt. 20. Ubi agitur de conductione operariorum, quæ significat, per PP. recompensationem laborum, & tamen in illa conductione est contractus; intervenit ratio sui, *rolle quod tuum est.* Dicitque August. Serm. 73. in Joan. *Si tibi debebatur merces, reddita est, non gratia donata.*

RESPONDETUR. Si in illa parabola non agitur de vocatione ad Ecclesiam, tam Judæorum, quam Gentium, sed de recompensatione per vitam æternam, non est necesse id intelligi, de rigorosa iustitia, sed de latiori: quodque illic sit contractus conductionis, sed ex latiori iustitia, respiciens ad datum & acceptum. Nec parabola cum omni rigore accipienda; certè enim SS. non murmurant in cælo contra Deum.

5. Locus est. Ex Phrasibus scripturæ, quæ, bona spiritalia vendi à Deo significant; ita habetur Isaia 56. Apoc. 10. Matt. 18.

RESPONDETUR. Veritatem significatam illis verbis, esse de iustitia latius sumpta, conveniente in hoc cum iustitia rigorosa: quia etiam

attendit ad conditionem accepti, cum in mera misericordia, utpote definitive gratuita, ad id, non attendatur.

Auctoritates SS. Patrum.

PRÆTER citatas. Primus Locus est. PP. Gregor. Chrysost. hom. 3. in Matt. inter medium & finem, *in salvari te per gratiam confitere, ut se ille tibi debitorem fateatur.*

RESPONDETUR. Nihil hîc agi de debito rigorofo: hoc solum significatur, nos non debere multum tribuere meritis nostris, cum iustitiæ nostræ sint tanquam pannus menstruæ. Quando autem Basil. dicit hom. 12. in Proverb. à cœlesti iudice deductam nostram iustitiam, docet deductam non quoad vim obligandi: nam hujus obligationis, non habetur, ex dictis, radix in Deo, sed deductam in exemplo servandæ æqualitatis, & impendendi, sui quanti, ad quantum aliûs.

2. Locus est PP. Latinorum. Cypriani. Lib. de Opere & Eleem. Sed illic nihil loquitur, nec innuit de iustitia, in quantum aufert potestatem expeditam agendi, prout voluerit Deus, adeoque non agit de iustitia rigorofo. Quando autem Ambros. L. 1. Offic. cap. 16. dicit, *quid possis, quod tibi debetur*, non est strictè locutus, aliàs nemo posset dicere, *Adveniat regnum tuum*, quod meretur. Sed solum significat promptitudinem Dei, quam non sit necesse commonere officii, & licet Ambr. in Psalm. 118. velit Deum conveniri, hoc est, actionem adversus illum institui, id rigorofo accipi non debet: Cui enim iudicio subditur Deus? sed, ut dixi, solum significatur promptitudo Dei in retribuendo. Quando autem August. Præfat. ad Psalm. 31. Lib. de Grat. & Lib. arb. cap. 8. Serm. 16. de Verb. Applic. col. 1. in Psalm. item 83. & Epist. 105. appellat Deum debitorem. Nego quod appellet debitorem secundum rigorem iustitiæ.

Auctoritates Conciliorum.

PRIMA ARAUSICANI 2. Can. 18. *Debetur merces bonis operibus, si fiant. Sed gratia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant.*

RESPONDETUR. Mentem Arausicani fuisse, non determinare, quod illic sit rigorosa iustitia, sed quod necessaria sit gratia, gratis conferenda, quâ positâ, tum primum meremur: voluit enim Arausicanum opponere se Semi-Pelagianismo.

SECUNDA EST SENENSIS. *Ei qui fidem servaverit &c. coronam iustitiæ reddit.*

RESPONDETUR. Id fieri posse sine rigorofo iustitia.

TERTIA TRIDENT. sup. cit. quod explicandum, ut supra.

*G 3

Pun.